

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

VICTORIEN. seu SANCTI SEBASTIANI

BEATIFICATIONIS et CANONIZATIONIS

SERVI DEI

Ioannis Vincentii a Iesu Maria

(in saec.: Ioannis Vincentii Zengotitabengoa Lasuen)

SACERDOTIS PROFESSI

ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM

(1862-1943)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Cuiuslibet instituti sodales, Deum prae omnibus et unice quae-
rentes, contemplationem, qua Ei mente et corde adhaereant, cum amo-
re apostolico, quo operi Redemptionis adsociari Regnumque Dei di-
latare nitantur, coniungant oportet » (CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de
accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, 5).

In suam vocationem fidelis, Servus Dei Ioannes Vincentius a Iesu
Maria alacriter ad sanctitatem ambulavit, magno cum fervore ac per-
severantia vitam interiorem, Regulae observantiam et apostolicam
colens industriam. Hoc agens modo, dignus hic Sanctae Teresiae a
Iesu filius contemplationem cum ardore laboribusque pro animarum
salute perfecte coniunxit, quibus cum caritate, humilitate et intelle-
gentia usque ad finem dierum suorum servivit.

Servus Dei ortus est in oppido *Bérriz*, tunc in dioecesi Victoriensi
posito, nunc vero in Flaviobrigensi, die 19 mensis Iulii anno 1862, a

Francisco Zengotitabengoa et Dominica Petra de Lasuen, qui eum secundum legem Dei atque Ecclesiae educaverunt et in eius animo ignem incenderunt pro deprecatione, pro pauperibus proque labore. Eius humanae et christianae formationi contulerunt etiam parochus, Sorores Mercedariae et ludi magister, quem parvus Ioannes Vincentius sedulo frequentabat. Quindecim annos natus vocem Dei sequi statuit et Ordinem Fratrum Discalceatorum B. Mariae V. de Monte Carmelo ingredi. Novitiatu confecto, in oppido *Larrea* professionem simplicem fecit die 10 mensis Decembris anno 1878 et post tres annos professionem sollemnem in conventu loci Marquinae, sede propulsoria navitatis missionalis Ordinis. In eodem conventu laudabiliter in studia theologica incubuit et munus explevit praeceptoris ante et post ordinationem sacerdotalem, quam accepit die 21 mensis Martii anno 1885. Deinceps professor fuit et prior in conventu Valentino (annis 1877-1889), prior Burgis (annis 1889-1894), magister professorum et praeceptor Marquinae (annis 1894-1897). Tamquam definitor provincialis iussus est conventum eremiticum condere, qui in urbe *Herrera* est apertus anno 1897, cuius Servus Dei fuit aliquot menses vicarius; dein iterum prior fuit Burgis (annis 1897-1900). Varia munera est exsecutus cum diligentia, prudentia et alacritate, magnum ostendens amorem in Ordinem suum et in suos fratres sodales, quos auctoritate et magis etiam exemplo vitae suae ad exercitium virtutum duxit atque ad Regulae observantiam diligentem. Industrius fuit etiam extra muros domorum in quibus morabatur; namque interfuit actioni pastoralis dioecesanae, pietatem carmelitanam propagavit et religionem erga Virginem Carmeli; moderationi spiritali se dedit et peculiari cum vi, peritia atque efficacia verbum Dei praedicavit, doctrinam socialem Ecclesiae defendit, unitatem politicam catholicorum fovit et bonos libros edendos curavit. Interim fortius usque in corde suo resonare animadvertit Christi mandatum Apostolis iniunctum: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » (Mc 16, 15). Cogitavit, precatus est, consilium petivit et denique a superioribus postulavit ut sibi liceret navitati missionali omnino se consecrare, potissimum in locis, ubi maiores essent martyrii possibilitates. Ad missiones Indiae destinatus, anno 1900, Hispania relicta, ad archidioecesim Verapolitanam pervenit, in qua multiplicem et eni-

xum explicavit apostolatam, viribus non parcens nec tempori, pro bono illius ecclesiae particularis, illarum gentium et sui Ordinis religiosi. Principio ei commissa est provincia Kottayamensis, postea procurator fuit missionis, rector orphanotrophii et scholae, in qua artes quaestuosae docebantur, Ernakulamensis, parochus et vicarius foraneus Verapolitanus, Chathiathanus et denuo Verapolitanus, provicarius provincialis et consiliarius Vicariatus, conditor conventus Carmelitani Ernakulamensis, rector aedis scholasticorum internorum eiusdem urbis. Ut facilem redderet iuvenibus missionariis linguae loci cognitionem, anno 1904 edidit grammaticam latinam-malabaricam; eodem anno instituit commentarium « Promptuarium canonico-liturgicum seu Ephemerides Ecclesiastica mensualis ». Ultimum tempus mansionis in India in conventu egit Ernakulamensi, graves animo forti ac patienti dolores ferens morales. In Hispaniam reversus anno 1917, condidit conventum Lucroniensem, cuius factus est superior; nominatus est zelator missionum Carmelitanarum, quod munus sustinuit usque ad annum 1935 summa cum cura, constanti fervore et multis inceptis, in quibus memoramus nunc tantummodo constitutionem Chorum Marianorum et commentarii « La Obra Máxima », participationem congressionum missionum, acroases, multa scripta, praedicationem, itinera in Hispania et in America animationis missionalis causa, translationem officii in sedes aptiores, primum Pampilonem, deinde Sanctum Sebastianum. Ubi potuit, amoris ignem accendit erga ecclesiam missionariam et efficaciter fovit evangelizationis mundi cooperationem. Anno 1919-1920 est cum prudentia munere functus visitatoris provincialis Missionis Verapolitanae; ab anno 1921 ad annum 1927 fuit definitor provincialis et anno 1930, iussu Antistitis Generalis, visitationem canonicam explevit communitatis Sancti Sebastiani. Eodem illo anno, exemplum secutus Sanctae Teresiae a Iesu Infante, victimam se Amori Misericordiae devovit. Cum, anno 1935, hemiplexia eum obstrinxit navitatem apostolicam externam relinquere, servire missionibus easque adiuvere non desiit, suos dolores suasque preces Domino offerendo pro non christianorum conversione. Christi cruci iunctus, perrexit in via perfectionis progredi atque cotidie suam testificari in Deum et in suam consecrationem fidelitatem. Silentio emittit, animo intensissimo ad deprecationem et meditationem atque obo-

dientia fratri sodali infirmorum ministro, quem ei superiores assignaverant. Meritis ornatus, mortem obiit pie in conventu Sancti Sebastiani die 27 mensis Februarii anno 1943.

In vita, in morte et post mortem magna et solida sanctitatis fama claruit tum in Ordine suo tum apud clerum et populum. Qui enim cum eo rationem habuerunt vivo, verum hominem Dei perfectumque Carmelitanum in illo viderunt et illecebram senserunt eminentium eius virtutum, diligenter, alacriter, perseveranter et spiritali cum gaudio culturarum. Fide fulsit, spe et caritate, quae lumen fuerunt et vis eius sacerdotii et apostolatus. Mente et corde est assensus divinae revelationi atque Ecclesiae magisterio, et locutus est, scripsit et egit convenienter ad ea quae credebat. Assidue coluit coniunctionem cum Domino vitamque interiorum per fervidam Missae celebrationem et Liturgiae Horarum, deprecationem personalem et communem, contemplationem, religionem in Eucharistiam, Iesum crucifixum, Virginem Mariam, Sanctum Ioseph ac Sanctos Carmelitanos. Nisus est Dei voluntatem cognoscere eamque sequi etiam in rebus minimis; sapienter talenta caelitus accepta feneravit; bonum fecit, peccatum fugit, cum congruentia et rigore Regulam Ordinis sui votaue religiosa observavit ac fratres sodales idem facere docuit. Deum habuit cardinem suarum cogitationum, suorum affectuum et appetitionum, et omnia fecit pro gloria et regno eius, libenter labores et incommoda suscipiens innumera. Boni Pastoris sedulus imitator, se ipsum impendit pro animarum salute et fidei diffusionem in mundo atque, caritate pastoralis motus, largiter bona redemptionis distribuit divina mysteria sancte celebrando, fructuose ministrando Reconciliationis sacramentum, Verbum praedicando et doctrinam catholicam docendo. Clare et animose veritates christianas nuntiavit, adversus vitia erroresque aetatis suae contendit, divinorum mandatorum observantiam fovit atque legum ecclesiasticarum, amorem Ecclesiae et missionum provexit. Etsi indole fortis erat et vehemens, se continuit semperque reverens et docilis fuit cum superioribus atque humilis et mansuetus erga fratres sodales et obnoxios; cum affabilitate et benignitate vitia aliena correxit et in conventibus paci concordiaeque favit; in aegrotos et peccatores misericors fuit et officiosus; sincerus in sermocinationibus; alienus a rebus inanibus mundi, continentiae

et paenitentiae amans, in consiliis capiendis inque negotiis prudens, in difficultatibus fortis ac patiens, in Deum et in proximos iustus. In omni vitae casu magnam aluit Providentiae fiduciam et etiam in diuturno morbo, ex quo est mortuus, spe christiana est sustentus et praemii aeterni cupidine.

Tot tantaque praebeuit exempla virtutum, ut Episcopus Victorien-sis initium fecerit Causae beatificationis et canonizationis per processus ordinarii celebrationem (anno 1950), cui additi sunt rogatoriales Huarazensis, Bracarensis, Carthaginensis, Vilayapuramensis et Burgensis. Anno 1963 promulgatum est decretum super scriptis et anno 1978 decretum super Causae introductione. Processus apostolicus instructus est apud Curiam Sancti Sebastiani (annis 1980-1981) et Pampilonensem (anno 1981). Horum processuum auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 31 mensis Martii anno 1984 promulgato. Praeparata *Positione*, disceptatum est an Servus Dei heroum more virtutes exercuisset. Die 9 mensis Maii anno 1995 actus est, felici cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Die 17 subsequentis mensis Octobris dein Patres Cardinales et Episcopi, in Sessionem Ordinariam congregati, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon, fassi sunt Servum Dei Ioannem Vincentium a Iesu Maria heroum in modum virtutes theologales, cardinales et his adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super herolcis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infra-scripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eis-que astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ioannis Vincentii a Iesu Maria (in saec.: Ioannis Vincentii Zengotitabengoa Lasuen), Sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis
de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 12 mensis Ianuarii A. D. 1996.

† ALBERTUS BOVONE
Archiepiscopus titularis Caesariensis in Numidia
Pro-Praefectus

L. ✠ S.

† EDUARDUS NOWAK
Archiepiscopus titularis Lunensis
a Secretis